TEMPVS
ADVENTVS MESSIAE
IDONEVM.

MEDITATIO
AD SACRA
NATIVITATIS IESV CHRISTI
PIE CELEBRANDA
PROPOSITA.

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

Digitized by Google

DEI GRATIA
GVILIELMVS HENRICVS,

DVX SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE ET GVESTPHALIAE, LANDGRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO MISNIAE, PRINCEPS COMES HENNEBERGIAE, COMES MARCAE ET RAVENSBERGAE, SAYNAE ITEM ET VVITTGENSTEINII, DYNASTA RAVENSTEINII,

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMVS

PACEM ET GRATIAM DIVINAM SERVATORIS NATIVITATE OMNIBVS REPARATAM

PRECATVR

CIVIBVS.

QVEMADMODVM certum tempus, quo chriſtus, omnium hominum ſeruator, naſci deberet, deum in conſiliis ſuis ſapienter conſtituiſſe, ex oraculis prophetarum, inprimis Iacobi *geneſ.* XLIX, 10. Ieſaiæ XL, 2. ſqq. Danielis II, 44. IX, 24. Haggæi II, 6. ſqq.* abunde patet; ita clarum quoque atque euidens eſt, illum ad nos veniſſe eo ipſo tempore, quod a deo erat determinatum. Videmus id luculenter ex temporis, quo ieſus chriſtus natus eſt, ratione, ita comparata, vt cum tempore aduentus meſſiæ a prophetis prædicto adcurate conueniat nobisque argumentum ſuppeditet, quod et ad confirmandam religionis noſtræ chriſtianæ veritatem et ad confutandos iudæorum

* Plura eiusmodi oracula recenſet atque illuſtrat CASPAR. HERMANNVS SANDHAGENIVS in *epiſtol. theolog. part. I. p. 112. ſqq.*

Digitized by Google

rum aliorumque illius hoſtium errores grauiter valet. * Idque apoſtolus Paullus teſtatur ac pronuntiat, *deum miſiſſe filium ſuum, ὅτε ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, poſtquam venerit plenitudo temporis, Galat.* IV, 4. Hoc enim πλήρωμα τοῦ χρόνου eſt plenum illud tempus, quod quum antea a deo eſſet definitum atque a prophetis prædictum, nunc aduenerat ſuumque obtinuerat complementum, ac recte ad tempus natiuitati chriſti diuinitus præſtitutum refertur.

Ipſum tempus aduentus meſſiæ deus ita conſtituit, vt poſtquam ille erat promiſſus, poſt longioris temporis decurſum eueniret, quem terminum cur deus elegerit curue chriſtus non citius; nec ſtatim poſt humani generis lapſum ad nos acceſſerit? id in quæſtionem diſſertationemque vocatum fuit. Iam olim ea de re expoſtulauit PORPHYRIVS, atque inter alia chriſtianis et hæc obiecit: *ſi chriſtus ſe ſalutis viam dicit, gratiam et veritatem, in ſeque ſolo ponit animis ſibi credentibus reditum, quid egerunt tot ſeculorum homines ante chriſtum?* vti ex AVGVSTINO ** patet. Idem fecit CELSVS ille chriſtianæ diſciplinæ hoſtis, ac quæſtionem inſtituit: *ergo nunc tandem poſt tot ſecula recordatus eſt deus, iuſtificare vitam hominum, quod priore tempore neglexerat?* ad quam tamen ORIGENES *** reſpondit ac cauſſam egit veritatis, ad cuiusmodi defenſionem etiam ZACHAEVS ille chriſtianus ſuas operas contulit. Diſputauit enim aduerſus APOLLONIVM philoſophum, quum hic quæreret: *ſi igitur tam neceſſarius aduentus illius fuit, vt per ſe formam iuſtitiæ præbiturus pati pro omnibus, non recuſaret, in morte propria ſpem nouæ reſurrectionis oſtendens; cur et dei beneficium et ſalus hominum tantorum temporum dilatione tardata eſt?* *

* Multi ſane ſunt, qui vaticinia de tempore aduentus meſſiæ explicarunt eorumque, præſertim a Iacobo, Daniele et Haggæo editorum, vindicias dederunt. Recenſet illos diligenter IO. ALB. FABRICIVS in *delectu argumentorum et ſyllabo ſcriptor. de veritate religionis chriſtianæ* p. 585. 591. 597. ſqq.

** *epiſt.* CII. *tom.* II. *oper.* edit. Benedictin. p. 209.

*** *contra Celſum lib.* IV. p. 165.

* vide *conſultationum Zachæi chriſtiani et Apollonii philoſophi libr.* I. *cap.* 21.

Qui ita chriſtianis aduerſabantur, ex meſſiæ aduentu in longius tempus dilato capi poſſe argumentum, ſibi perſuadebant, quo auctoritas ac veritas religionis chriſtianæ ſit infringenda. Non defuerunt tamen, qui de tempore aduentus huius recte ſentirent illudque fuiſſe idoneum, vere intelligerent; quamuis quum quærerent de cauſſis, cur ieſus chriſtus non citius factus ſit homo, illas non eadem explicauerint ratione. Inter antiquioris eccleſiæ doctores, qui argumentum hoc enarrarent, extiterunt. Nonnulli ſtatuerunt, tunc demum filium dei ad homines in carne veniſſe, quum hominum malitia et corruptio fuerit ſumma. GREGORIVM *Nyſſenum* * ita ſenſiſſe, hæc illius verba, quæ, vt reliquorum græcorum patrum, qui ſequuntur, latine tantum recenſere liceat, haud obſcure monſtrant: *quod autem humanæ vitæ non ab initio; ſed ab extremis temporibus dominus adparuerit, hanc merito fortaſſe cauſſam quispiam exiſtimabit, quod, qui, malitiam vt tolleret, humanam vitam erat ingreſſurus, exſpectauit neceſſario, vt omne ab inimico ſatum propagatumque peccatum germinaret, ac tum demum, vt legitur in euangelio, radici ſecurim admouit. Nam et qui præſtant medendi facultate, dum febris adhuc corpus exurit et ex cauſſis, morbum efficientibus, paullatim intenditur, obſecundant morbo, quoad vis ad ſummum peruenerit; nec cibi ſubſidium vllum ægrotanti præbent; at vbi malum conſtiterit, patefacto iam toto morbo, tunc artem adhibent. Sic animorum ægrotantium medicus exſpectauit, dum malitiæ morbus, quo natura hominum victa laborabat, ſe totum aperiret, ne latens aliquid incuratum remaneret, ſi curaret id ſolum, quod cerneretur.* Paganis hominibus, qui tarditatem aduentus meſſiæ noſtri exprobrabant, vt obuiam iret THEODORETVS, ** *medicos*, inquit, *etiam accuſate, quod acriora remedia in vltimum tempus differunt. Lenioribus ſiquidem prius vſi, potentiora vltimo*

cap. 21. apud LVCAM DACHERIVM in *ſpicileg. tom.* I. p. 9. edit. nou. Pariſienſ. MDCCXXIII.

* *orat. in diem natal. ieſu chriſti, tom.* II. *oper.* p. 773. adde eiusdem *epiſtolam ad Theophilum*, epiſcopum Alexandrinum, *aduerſus Apollinarem, tom.* II. *oper.* p. 695.

** *græc. affectionum curat. ſerm.* VI. *tom.* IV. *oper.* p. 579.

Digitized by Google

mo loco adhibent. Idem fecit ſapientiſſimus medicus animarum noſtrarum. Eadem ſententia placuit CYRILLO *Alexandrino*, chriſtum eo tempore in carne voluiſſe adparere, quo mortalium corruptio ad ſummum peruenerit gradum, vt tot tantiſque omnium hominum morbis ac vitiis medelam, nunc maxime neceſſariam, adferret, et quemadmodum ſcriptura ſacra loquatur, ſecurim radici admoueret. Inter alia dicit: *quum igitur omnis in vniuerſum nequitiae vis ex praua radice emerſit multiſque modis excreuit in voluntatibus ac ſtudiis per vnamquamque generationem, malitia promiſcue luxuriante: tum demum (ſicut ait ad Athenienſes Paullus) ignorantiae tempora deſpiciens deus, vltimis temporibus aduenit,* * quo et PHILASTRIVS, ISIDORVS *Peluſiota*, IO. ZONARAS, EVTHYMIVS atque alii ſpectant, vti BONAVENTVRA VVLCANIVS, ** DIONYSIVS PETAVIVS, *** IO. ALBERT. FABRICIVS * adnotarunt.

Alii inter antiquiores plane diuerſam tardioris aduentus meſſiae cauſſam admittunt. EVSEBIVS, ** qui hac de re late exponit, illam ita recenſet: initio mortales, ab omni virtute et pietate erga deum plane alienos omnique libidinum ac vitiorum generi deditos, talem egiſſe vitam, qualis ferarum magis; quam hominum ſit propria, quum in latibulis latronum more degerent, nullis legibus adſtricti: nullo vſu ac cultu doctrinarum atque artium perpoliti: quumque ſibi perſuaderent, corporibus atque iis rebus, quae ſenſibus percipiuntur, nihil eſſe praeſtantius ac pulcrius: etiam variis animalium generibus diuinos honores tribuerent. Pro qua ſumma corruptione homines haud aptos fuiſſe ad doctri-

* *lib. aduerſus anthropomorphitas cap.* XXIV. *tom.* VI. *oper.* p. 394.

** *not. in* CYRILLI *lib. aduerſus anthropomorphitas*, quae non ſolum in editione libri huius, a VVLCANIO primo graece et latine adornata, Lugd. Batau. MDCV. extant; verum etiam in IO. AVBERTI editione *operum* CYRILLI Pariſ. MDCXXXVIII. ad calcem tomi vltimi leguntur.

*** *theologic. dogmat. de incarnatione lib.* II. *cap.* 17. *tom.* V. p. 104. ſqq.

* *not. ad* PHILASTRIVM *de haereſibus cap.* CXXXV. p. 294.

** in *prolegom. lib.* VIII. *demonſtrationis euangelicae* p. 363. ſq.

doctrinam meſſiæ intelligendam remediaque gratiæ accipienda; ſed poſtulaſſe rem, vt ante legibus atque inſtitutis Moſis ac prophetarum: item exemplis ſanctorum aliquot virorum formarentur eorumque animi ad cæleſtis magiſtri diſciplinam et commercium præparati efficerentur. Quo perfecto, in tempore adfuiſſe chriſtum ac paullulum doctrina imbutis mortalium animis lumen diuinæ veritatis intuliſſe. Hæc eſt ſumma eorum, quæ EVSEBIVS dicit et alibi * hiſce ſimilia edifferit. Non longe diſcedit ab hac ſententia AVGVSTINVS ** atque itidem exiſtimat, priorum temporum corruptionem fuiſſe impedimentum, quo minus tum chriſtus adueniret, hunc in modum: *tunc voluiſſe hominibus adparere chriſtum et apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, et vbi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri. His enim temporibus et his locis, quibus euangelium eius non eſt prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros eſſe, praſciebat, quales non quidem omnes; ſed tamen multi in eius corporali præſentia fuerunt, qui in eum, nec ſuſcitatis ab eo mortuis, credere voluerunt: quales etiam nunc multos videmus, quum tanta manifeſtatione de illo compleantur præconia prophetarum, nolle adhuc credere et malle humana aſtutia reſiſtere; quam tam claræ atque perſpicuæ tamque ſublimiter diffamatæ diuinæ cedere auctoritati. Quamdiu paruus et infirmus eſt intellectus hominis, diuinæ debet cedere veritati. Quid ergo mirum, ſi tam infidelibus plenum orbem terrarum chriſtus prioribus ſeculis nouerat, vt eis adparere; vel prædicari merito nollet, quos nec verbis; nec miraculis ſuis credituros eſſe, præſciebat?*

Quod ad rem ipſam adtinet, omnino dicendum eſt, tempus aduentus meſſiæ fuiſſe idoneum. Quum enim deus illud conſtituit, per ſapientiam ſuam id ſine cauſſa eligere non potuit. Si et ignoremus, quænam et qualis ſit illa cauſſa, propter quam chriſtus ſero ad homines venerit; ſufficit tamen, nos ſcire, quod deus non ſine cauſſa voluerit, cur meſſias ſero in carne adpareret:

* *hiſtor. eccleſiaſt. lib.* I. *cap.* 3.
** *epiſtol.* CII. *tom.* II. *oper.* edit. Benedict. p. 211.

ret: quodue illa fuerit grauior et ita comparata, vt fini, quem deus ſibi propoſuerat, adcurate reſponderet: per conſequens etiam cum iuſtitia eius ac bonitate, in opere redemtionis maxime conſpicuis, conueniret. Ita fateri debemus, tempus fuiſſe idoneum, quo chriſtus homo natus eſt, quoniam illud deus in conſiliis ſuis conſtituit habuitque cauſſam, cur hoc; nec aliud elegerit, vbi et rationem decreti huius explicare nequeamus. Per ſe ſapiens illud fuit hincque et tempus hoc effecit idoneum. Nihil in ſe continebat, quod vel gloriæ diuinæ; vel ſaluti hominum repugnaret. Quamuis enim, quum meſſias prioribus temporibus haud veniret, homines, qui in illis vixerunt, chriſtum adhuc exſpectare deberent; in eum tamen credere et per fidem ſempiternæ felicitatis participes fieri poterant. Eadem ratio, ſalutem æternam conſequendi: eadem doctrina, quam nunc in nouo teſtamento habemus, illis præſcripta ac tradita fuit, adeo vt ex vaticiniis pariter ac typis meſſiam potuerint cognoſcere et ad fidem peruenire. Extiterunt quoque fideles veteris teſtamenti, qui peccatorum veniam et vitam cæleſtem conſequerentur. Hinc Petrus dicebat: *ſed nos per domini ieſu chriſti gratiam ſeruari, credimus, quemadmodum et illi,* patres quippe veteris teſtamenti, qui per fidem in meſſiam ſeruati ſunt, *actor.* XV, 11. et alibi de ſeruatore noſtro verba faciens: *huic omnes prophetæ teſtimonium dant, eum eſſe, per cuius nomen peccatorum veniam conſequantur, quicumque in eum credant, actor.* X, 43. Hinc et apoſtolus de ieſu teſtatur, eum eſſe *chriſtum heri et hodie et in ſecula, ebr.* XIII, 8. Idque etiam eſt, quod AVGVSTINVS,* quum ad quæſtionem: quare chriſtus non ſub ipſius ſtatim humani generis primordium ad homines acceſſerit? reſpondere inſtituit, inter alia recte obſeruat: *ab exordio generis humani,* inquit, *quicumque in eum crediderunt eumque vtcumque intellexerunt et ſecundum eius præcepta pie et iuſte vixerunt, quandolibet et vbilibet fuerint, per eum procul dubio ſalui facti ſunt. Sicut enim nos in eum credimus, et apud patrem manentem; et qui in carne*

* *epiſtol.* CII. *tom.* II. *oper.* edit. Bened. p. 280.

carne iam venerit; ſic credebant in eum antiqui, et apud patrem manenſem; et in carne venturum. Nec, quia pro temporum varietate nunc factum adnuntiatur, quod tunc futurum prænuntiabatur, ideo fides ipſa variata; vel ſalus ipſa diuerſa eſt. Nec, quia vna eademque res aliis atque aliis ſacris et ſacramentis vel prædicatur; aut prophetatur, ideo alias atque alias res; vel alias atque alias ſalutes oportet intelligi. Quid autem, quando fiat, quod ad vnam eandemque fidelium et piorum liberationem pertineat, conſilium deo tribuamus, nobis obedientiam teneamus. Proinde aliis tunc nominibus et ſignis; aliis autem nunc, et prius occultius; poſtea manifeſtius, et prius a paucioribus, poſtea a pluribus; vna tamen eademque religio vera ſignificatur et obſeruatur. Nec eſt, quod cum IO. COCCEIO eiusque adſeclis obiicias, chriſtum apud fideles veteris teſtamenti *fideiiuſſoris* ſaltem; non autem *expromiſſoris* habuiſſe rationem hincque veram peccatorum remiſſionem illis non obtigiſſe, quoniam demum per ipſam ieſu chriſti mortem facta ſit peccatorum expiatio. Licet enim concedamus, chriſtum eo tempore, quo mortem cruentam ſubiit, actu pro peccatis noſtris iuſtitiæ diuinæ ſatisfeciſſe; nihil tamen impedit, quo minus dicamus, deum iam antea et quidem ſtatim poſt hominum lapſum ſatisfactionem reputare potuiſſe, ac ſi iam præſtita eſſet, hancque ob cauſſam eius quoque effectum ante chriſti mortem ſeſe demonſtrare.

Quæ quum ita ſint, ſane in ſapientia ac voluntate diuina legitimam habemus rationem, cur tempus aduentus meſſiæ idoneum fuiſſe, exiſtimemus, in qua ſi acquieſcamus, fidei et pietati noſtræ erga deum magis fere conſulimus; quam vbi ipſas cauſſas, propter quas ſapientia dei aduentum hunc poſteriori tempori reſeruare voluerit, ſtudioſe perſcrutemur atque inueſtigemus. Quæ ingenii atque animi humani imbecillitas eſt, facile fieri poteſt, vt in eiusmodi meditationibus longius; quam par eſt, progrediamur: illis plus; quam decet, tribuamus: a recta via aberremus; nec obſcure, quod in nobis inſit, ſtudium vituperandæ ſignificemus curioſitatis. Attamen de ipſa re meditari licet, ſiquidem id religioſe; nec ſine circumſpectione fiat, ac quæ nunc memo-

Digitized by Google

memorauimus, vitia ſedulo deuitentur.* Id inprimis cogitandum eſt, cauſſam hanc ad eiusmodi decreta diuina ſpectare, quorum rationem nobis ſacræ ſcripturæ haud tradunt; hincque iuſtum meditandi modum tenere, decet. Non aliud, niſi coniecturas, adſequi poſſumus. In illis locum habet, chriſtum ideo ad homines tarde acceſſiſſe, quoniam opus redemtionis, quod perficere debebat, per ſummam ſuam dignitatem antea fuerit exſpectandum atque adnuntiandum, vt quam graue illud ſit, homines adcuratius intelligerent, quod inter veteres AVGVSTINVS ** iam obſeruauit: *quum venit*, inquit, *plenitudo temporis*, *miſit deus filium ſuum. Ideo multi dicunt: quare non ante venit chriſtus? quibus reſpondendum eſt, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo, per quem facta ſunt tempora. Sciebat enim, quando venire deberet. Primo per multam ſeriem temporum et annorum prædicendus fuit: non enim aliquid paruum venturum fuit: diu fuerat prædicendus: ſemper tenendus. Quanto maior iudex veniebat; tanto præconum longior ſeries præcedebat.* Nec coniectura hæc plane ſuo caret fundamento. Sane deus doctrinam de meſſia, antequam veniret, et per vaticinia et per typos hominibus adnuntiandam curauit, ita vt in eiusmodi reuelationibus

B

* Varii ſunt, qui argumentum hoc pertractarunt atque ſtudia ſua in eo collocarunt, vt oſtenderent, chriſtum tempore maxime idoneo humanam carnem induiſſe. Ex noſtris theologis IO. FRID. MAYERVS edidit *diſſertationem de quæſtione: cur deus non ſtatim poſt Adami lapſum fuerit incarnatus; ſed mundi exſpectauerit ſenectutem?* MDCXCV. Ex Anglis huc ſpectant ROBERTVS FLEMINGIVS in *chriſtologia; ſiue commentatione de chriſto*, tom. II. p. 351. ſqq. cuius prius volumen MDCCV. poſterius vero MDCCVIII. Londini lingua Anglica prodiit, et THOMAS WOOLSTONVS ille, qui, vt notum eſt, religionis chriſtianæ fundamenta ſpeciatimque veritatem miraculorum chriſti euertere, præfracte ac malitioſe ſibi ſumſit; antea autem, quum ingenio ac mente melior eſſet, tractatum Anglicum de *tempore aduentus chriſti in carnem opportuniſſimo*, Lond. MDCCXXII. in publicam emiſit lucem. Hiſce addendi ſunt DIONYSIVS PETAVIVS *theologic. dogmatum de incarnatione lib.* II. *cap.* 17. p. 104. ſqq. BENEDICTVS PICTETVS *theolog. chriſtian. lib.* IX. *cap.* 5. p. 1056. et IO. ALB. FABRICIVS in *ſyllabo ſcriptor. de veritate relig. chriſtian.* p. 695. ſqq.

** *tractat.* XXXI. *in Ioann. tom.* III. *oper. part.* 2. p. 379. edit. Benedict.

Digitized by Google

bus gradatim procederet ac prophetiæ phosphorus pedetentim radios eosque clariores ſpargeret. Primum *ſemen mulieris* generatim promittebatur, ſine vlla gentis, familiæ, temporis, loci atque aliarum circumſtantiarum mentione facta, *geneſ.* III, 15. deinde promiſſio de meſſia ad ſtirpem Abrahami atque in poſteris eius ad genus non Iſmaelis; ſed Iſaaci; in huius autem poſteris non Eſaui; ſed Iacobi fuit adſtricta, *geneſ.* XII, 3. XVIII, 18. XXII, 18. XXVI, 4. XXVIII, 14. quo præcipue ſpectat formula foederis euangelici de *deo Abrahami, Iſaaci et Iacobi.* Porro acceſſit vaticinium Iacobi de tribu in gente iſraelitica, ex qua naſci deberet meſſias, nimirum ex tribu Iudæ, ſimulque de tempore aduentus illius, *geneſ.* XLIX, 8. ſqq. Quum autem tribus Iudæ in multas diffuſa eſſet familias, tempore Dauidis deus reuelauit familiam eamque Dauidicam et regiam, ex qua exſpectandus ſit meſſias, 2 *Sam.* VII, 4. ſqq. 1 *chronic.* XVII, 11. ſqq. Poſt nouum temporum decurſum *Ieſaias* adnuntiauit, qualis futura ſit mater meſſiæ, VII, 14. hocque *Ieremias* XXXI, 22. confirmauit; quæ tamen lux poſtea iterum ad maiorem ſplendoris gradum peruenit. Acceſſerunt enim alii prophetæ ac ea de meſſia prædixerunt, quæ antea erant ignota. Per *Micham* deus patefecit locum, vbi ille in lucem erat edendus, Bethlehemum quippe, ipſam Dauidis patriam, V, 1. per *Danielem* tempus, quo inter mortales adparere et quæ ſalutis eorum ratio poſtulabat, peragere debebat, adcurate determinauit per LXX. hebdomadum ſpatium, IX, 24. ſqq. quod, quum non hebdomades dierum; ſed annorum intelligendæ ſint, quarum quælibet ſeptem annos complectitur, periodum annorum CCCCXC. conficit: per *Haggæum* edidit vaticinia de templo ſecundo, ad quod meſſias, tanquam eius antitypus, eſſet venturus, II, 7. ſqq. et per *Malachiam* ſignificauit quoque præcurſorem meſſiæ, Ioannem nimirum baptiſtam, III, 1.

Ita patet, per longum temporis ſpatium perque gradus a prophetis vaticinia de meſſia edita fuiſſe, quod coniecturam de tardiori illius aduentu, antea a nobis traditam, confirmat. Ex hac aliam colligere licet, deum fortaſſe eam ob cauſſam ſero miſiſſe filium ſuum, vt antequam veniret, diuerſa ætate per varios prophetas caracteres meſſiæ clare indicaret; per eiuſmodi autem vatici-

vaticinia pariter ac typos, quos addidit, certiſſima exhiberet documenta, ex quibus ſit cognoſcendum, ieſum eſſe verum meſſiam, ac ſimul arma ſuppeditaret, quæ aduerſus futuros veritatis hoſtes poſſent ferri. Noſtra ſane religio chriſtiana in vaticiniis hiſce grauiſſimum auctoritatis ſuæ firmamentum habet, contra quod plane nihil valent, quæ athei, iudæi ac naturaliſtæ obiiciunt, quum iſta ita ſunt comparata, vt non ſolum veritatem ſuam per ſe tueantur; verum etiam ad alium quemdam ea ratione, qua ad ieſum noſtrum, nimirum vere, adcurate ac ſine omni vi, non ſint adplicanda, ſiue ad perſonam; ſiue ad opera ac ſtatum illius reſpicias. Quo modo et facile fuit, eorum malitiæ obuiam ire ac fraudes detegere, qui meſſias ſe eſſe, nefarie iactarunt: * etiam adhuc facile eſt, iudæis monſtrare, ab iis fruſtra exſpectari meſſiam. Præter hæc coniicere licet, ideo deum voluiſſe, vt chriſtus ſero in carne adpareret, quoniam præuiderit, homines facile in perſuaſionem deduci poſſe, peccata, quando ſtatim poſt lapſum actu expiata fuerint, leuia eſſe mala; nec requiri, vt quis de illis multum ſit ſollicitus. Denique obſeruandum eſt, quod meſſias non ſolum deberet pro peccatis noſtris mortem ſubire; ſed etiam neceſſe eſſet, vt hominibus doctrina euangelica et per hanc ratio ſalutis æternæ conſequendæ adnuntiaretur. Voluit igitur deus eccleſiam conſtituere atque opus hoc gradatim perficere, eo modo, quem pro ſua ſapientia et alibi adhibuit. Deprehendimus enim hunc per gradus agendi ac procedendi modum in regno naturæ eiusque operibus creationis et conſeruationis, ac in regno gratiæ, vbi ad ea, quæ gratia diuina in conuerſione ac ſanctificatione operatur, velimus animum aduertere. Pro hac agendi ratione, deus in perficiendo eccleſiæ opere ac veluti ædificio ita verſatus eſt, vt varias illius partes; ſiue periodos conſtitueret, quarum gradatim altera dignitate ſua antecederet alteram et alia eſſet eccleſia patriarchalis: alia Moſaica: alia chriſtiana ſtricte ſic adpellata, ſimulque diuerſa gratiæ diuinæ œconomia locum haberet. Haud obſcure ſignificat hoc Paullus atque eccleſiam comparat cum homi-

* vide IO. A LENT *ſchediaſma hiſtorico-philologic. de iudæorum pſeudo-meſſiis*, MDCXCVII. vbi p. 93. et in *theolog. iudaica* p. 134. maius opus de hoc argumento promittit.

Digitized by Google

ne ſenſim creſcente, *Gal.* IV, 1. ſqq. quæ et hoc nomine ſimilis reputatur ſub patriarchis infanti: ſub Moſe puero ac tempore noui teſtamenti iuueni; aut adulto. Quæ ſi adcurate conſideremus, itidem ex illis cauſſa quædam explicari poteſt, cur deus ſero miſerit filium ſuum. Hic enim eſt, qui vltimam in his terris partem; ſiue periodum eccleſiæ, quæ eſt chriſtiana, duabus prioribus excellentior, debebat conſtituere; hanc autem ob rationem non poterat fieri, vt ſtatim; aut paullo poſt, quum promiſſus eſſet, ad mortales veniret; ſed cauſſa erat, cur deus aduentum illius in longius differret tempus. Qua propter apoſtolus dicit: *multifariam et multipliciter olim deus loquutus eſt patribus per prophetas; poſtremis hiſce temporibus loquutus eſt nobis per filium, ebr.* 1, 1. Quæ nunc dicta ſi quis cum veteris eccleſiæ doctorum effatis de tempore aduentus meſſiæ, ſupra memoratis, conferre velit, facile intelliget, num hæc; an iſta maiorem probabilitatis ſpeciem præ ſe habeant.

Monſtrauimus igitur, meſſiam tempore idoneo hominem factum eſſe. Decet nos, non ſolum ſummam dei ſapientiam, in hoc aduentu conſpicuam, omni mentis religione admirari; verum etiam eximiam benignitatem maxima veneratione proſequi, quam erga nos declarauit atque effecit, vt noſtra ætas ad illud tempus pertineat, in quo filius dei, deus magnus ac benedictus, iunxit ſibi humanam naturam atque in ea mortalibus adparuit. Nunc enim cognitio myſteriorum fidei clarior eſſe poteſt atque vberior; quam antea, quum totum gratiæ fundamentum ac quæ eo nitebantur, promiſſiones quadam inuolutæ eſſent obſcuritate, ita vt hanc ob rem euangelium dicatur μυςήριον χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον eiusque ἀποκάλυψις et Φανέρωσις referatur ad tempora noui teſtamenti, *roman.* XVI, 25. 26. *Coloſſ* 1, 26. 2 *Tim.* 1, 9. 10. 1 *Io.* 1, 2. Nunc fides non, vti erat in priori teſtamento, pro obiecto habet rem futuram: non ſolutionem præſtandam: non futuram expiationem; ſed rem præſentem: ipſum chriſtum cum ſuo merito, quod omnino fiduciam auget ac confirmat. Hæc inſignia beneficia diuina iubent, pium, gratum ac religioſum animum declarare atque id agere per cæleſtem gratiam, vt illorum participes fiamus eisque ſemper fruamur, cuiusmodi ſanctiora ſtudia inprimis tempus hoc, quo in coetibus noſtris chriſtianis ſanctiſſimam memoriam natiuitatis ieſu chriſti celebramus, ſibi vindicat. Expendite, cariſſimi CIVES! qualis ſit horum feſtorum dierum ratio, qui non otium; aut voluptates pernicioſas admittunt; ſed pia ſtudia, verbum diuinum audiendi, legendi ac meditandi, poſtulant. Quocirca quisque id diligenter curet, vt oracula cæleſtia, quæ voluntatis diuinæ interpretes enarrabunt, rite percipiat: animæ ſuæ conſulat et quod omnino pietatis munus eſt, gratam et liberalem mentem erga eos, qui ſacris noſtris præſunt, demonſtret. P. P. primo feſto die natiuitatis chriſti MDCCXXXVIII.

(L. S.)

Digitized by Google